



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilium Calnae Villae Regiae VVilceriae Svb Sancto Dvnstano
archiepiscopo Cantuariae habitum, anno IV. sancti Edvvardi martyris: cui
praeter episcopos alios & ceterum clerum, omnes aderant Anglorum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

198 BENEDICTVS C. KYRTLINGTONIÆ. OTTO II. IMPERATOR.
P. VII. EDGARVS R. ANGLIÆ.

* alias.
KYRTLI-
NEGE.
* al. KYR-
DING.
* al. KER-
LING.

CONCILIVM * KYRTLINGTONIÆ

ANNO
CHRISTI
977.

POST PASCHA HABITVM ANNO CHRISTI
DCCCCLXXVII. præsentibus Edvvardo rege, qui mar-
tyrio postea coronatur, & Dunstano archiepiscopo
Cantuariensi.

Ex nota quadam Saxonica.

Post pascha magnum habebatur Concilium Kyrtling-
toniæ, vbi Sidemannus episcopus mortem celerem
obiit II. Kalendas Maii. Erat is Deuoniæ episcopus, vo-
luitque corpus suum in episcopalı sua sede Cridiantunæ
sepeliendum.

Ordinarunt iam nunc rex Edvvardus & Dunstanus ar-
chiepiscopus, vt homines rusticani religionis causa ad ec-
clesiam sanctæ Mariæ Abbandunensem peregrinarentur,
quod & fecerunt.

Sepelitur autem honorifice (puta Sidemannus episco-
pus) ex parte Boreali porticus sancti Pauli Cridiantunæ.

Peregrina-
tio ad san-
ctam Ma-
riam Abbâ-
dunensem
instituta.

CONCILIVM CALNÆ VILLÆ

REGIÆ VVILCERIÆ SVB SANCTO DVNSTANO
archiepiscopo Cantuariæ habitum, anno IV. sancti
Edvvardi martyris: cui præter episcopos alios & cete-
rum clerum, omnes aderant Anglorum optimates,
rege tamen propter teneram ætatem absente:

*In quo dum acrius contenditur de eiiciendis monachis, reducendi-
que presbyteris sacerdaribus, cum uxoribus suis & liberis,
Conciliabuli decidit solarium.*

Gest. reg.
lib. 2. c. 9.

DE hoc Malmesburius ita: Sed adhuc non sedatis animis,
Calnæ Concilium indictum: vbi cum in cœnaculo,
absente propter ætatem rege, confidentibus totius An-
gliæ senatoribus, magno confictu & controuerzia res age-
retur, & validissimum illum murum ecclesię, Dunsta-
num dico, multorum conuiciorum iacula impeterent, nec
quaterent, suas partes cuiuscumque ordinis viris summo

BENEDICTVS C. CALNÆ VILLÆ. OTTO II. IMPERATOR.
P. VII. S. EDVWARD. R. ANGLIÆ. 199

ANNO CHRISTI
977. studio tuentibus, solarium totum repente cum axibus & trabibus diffiluit & concidit. Omnibus ad terram elisis, solus Dunstanus stans super vnam trabem quæ superstes erat euasit probe: reliqui vel exanimati, vel perpetui languoris compede detenti. Hoc miraculum archiepiscopo exhibuit pacem de clericis, omnibus Anglis tunc & deinceps in eius sententiam concedentibus. *Hæc e Malmesburio Baronius. De eodem Henricus Huntingdonensis hifl. lib. 5.* Edvardi sancti regis anno quarto omnes optimates Anglorum ceciderunt a quodam solario apud Calne, præter sanctum Dunstanum, qui trabe quadam apprehensa restitit. Vnde quidam eorum valde læsi sunt, quidam vero mortui. Signum scilicet Dei excelsi fuit, quod proditione & interfectione regis sui ab amore Dei casuri essent, & a diuersis gentibus digna contritione conterendi.

CONCILIVM AMBRESBYRIÆ,
SEV IN VRBE AMBROSI VVILTONIensi
pago celebratum anno Christi DCCCCLXXVII.

PRAETER nomen nihil exhibet hoc Concilium. *De hoc ita Vvignensis:* In Eastanglia apud villam quæ Kyrtlinege nominatur maxima Synodus celebratur. Dehinc apud Calne regiam villam dum alia celebraretur, totius Angliæ maiores natu, qui ibidem congregati fuerunt, excepto Dunstano, de solario corruerunt; quorum quidam mortui sunt, quidam vero mortis periculum vix euaserunt. Tertia apud Ambresbyrig Synodus celebrata est. Domnaniae præsul Sidemannus obiit. *Hæc ille, d^r inferior Iornalensis:* Celebratæ sunt (*inquit*) in Anglia tres Synodi; prima apud Kerlynge, secunda apud Calne, vbi omnes proceres, excepto Dunstano, de solario corruerunt: tertia fuit Ambresbyri. Anni non meminit, sed hæc ille in Edgari regis vita posuit.